

AD
DODECATROPHEI SCHWARZBURGO-RVDOLSTA
DIENSIS MEMORIAM SECVLAREM
PAVCIS POST DIEBVS RECOLENDAM

PRAELVDIT

NEC NON

AD
EXPLORATIONEM PVBLICAM
GYMNASII NOSTRI

D° XVIII° AC POSTRIDIE MARTII INSTITVENDAM

ATQVE AD

ORATIONES VI

ACADEMIAE CANDIDATORVM AVDIENDAS
PERILLVSTRES ATQ· EXCELLENTISS· SACRI TRIBVNALIS
PRAESIDEM SPLENDIDISSIMVM MAGNIF· ILLVSTRES PRAENOBILLISS
SVMME REVERENDOS NEC NON CETEROS FAVTO
RES ET AMICOS

PRO EO AC QVEMVIS DECET HONORIS CVLTV PROSEQVENDOS

INVITAT

M· FRIDER· NIC· VLRICH

GYMNASII FRIDERICIANI DIR

RVDOLPHOLI

LITTERIS HERED' LOEWIANOR

Hist. Saxon.

H.

606,72



Memoratu digna est *Augusti*, Imperatoris, mensa δωδεκάθετος, in qua conuiuiae in habitu sex Deorum, ac sex Dearum, ipse uero pro Apolline ornatus, discubuisse a *Suetonio* (a) perhibentur. Homines autem Deorum in habitu coena excepisse, si rumor non a falsis initiis ortus, usque eo uitio uersum est Augusto, ut, summa tunc in ciuitate penuria ac fame uigente, acclamaretur postridie, Deos comedisse omne frumentum. Quanto minus igitur Caesar hoc, seu ficto, seu uero, epulo suae consuluit dignitati, quid, quanto minus alimoniae ex eo in egenos, fame ac siti laborantes, profectum est, tanto maiori laudi illis Imperatoribus, Regibus, ac Principibus, ducatur, oportet, qui ex munificentia alimenta in homines, egestate pressos, contulerunt. Cum enim naturalis quaedam cognatio inter homines intercedat, quae mutua humanitatis officia postulat, illi profecto rationis humanae dignitatem sustinent, qui bene de uitae sociis mereri allaborarunt, suis eos sustentantes opibus, qui necessariis uitae tuendae praesidiis destituuntur. Hoc ipsum a *Traiano* probe expensum fuisse, testantur pueri *Alimentarii*, quibus ali-

* 2

(a) in Augusto C·LXX.

alimenta legauerat, et quorum *Plinius*, laudator eius profusus, mentionem facit, *Facile est*, scribens, coniectare, quod perceperis gaudium, cum parentum, liberorum, senum, infantium, puero- rum, clamor exciperet. Haec prima paruulorum ciuium aures imbuunt, quibus ea daturus alimenta hoc maximum praestitisti, ne rogarent. Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te tollere liberos libeat et expediat. Magnum est educandi incitamentum tolle- re liberos in spem alimentorum. Nihil magis in tua liberalitate lau- dauerim, quam quod das alimenta de tuo. Neque a te liberi ciui- um, ut ferarum catuli, sanguine et caedibus nutriuntur, sciunt, dari sibi, quod nemini est ereptum. Dent tibi, *Caesar*, aetatem *Dii*, quam mereris, seruentque animum, quem dederunt. Quo *Augustae* liberalitatis praeconio docemur genuinam illius indo- lem, et cuiusmodi debeat esse, si omne punctum ferre censenda sit. Ecquem enim praeterit, plures, qui primorum sunt ordi- num, aut amplissimarum facultatum Domini, benigne faciendo quidem ex egentibus et languentibus etiam interdum efficere consolatione lenitos, atque aerumnis solutos, non autem de suo, sed quia ipsi ex egentibus locupletes sunt facti, eos argento emun- xerunt, modoque minime legitimo aliorum opes ad se conuerte- runt. Id quod simul ac beneficiariis subolet, eiusmodi benefacta de alieno flebilis putant. *Traianus* autem non sic. Quid mi- rum, plures, qui eum in imperio exceperunt, nec non alios tunc *Romae* fortis haud infimae viros, tam praeclarum exemplum aemulatos, sumtus annuos in ingeniorum alimenta fecisse, quos fusius percensere per paginae angustiam haud licet.

Longissime tamen absit, ut *Germania* nostra, eiusque Prin- cipes hac beneficentiae laude sint inferiores, quam prisca *Roma*, ut potius eam longo post se interuallo relinquunt. Nonne cum benefactoribus illorum temporum ipsa beneficia expirarunt, ut non nisi in ueterum litterarum monumentis uestigia nonnulla sup- peditent. Longe aliter autem apud *Germanos* munificentia Prin- cipum, aut liberalitas aliorum hominum, in egenos, maxime litterarum affectas, est comparata. Namque beneficia fundaturis nihil prius antiquius est, quam eo uidere, ut illa aduersum tem- porum iniurias, rerumque uicissitudines, ita legibus seueris com- muni-

XXIII

muniantur, ut aere sint perenniora, ac per secula durent. Sit
fatis exempli *Mauritius*, Nouemuir quondam Saxoniae, de cu-
ius laude nulla unquam aetas conticescet. Cur uiget adhuc eius
memoria immortalis, cur fama ipsius nullo non tempore non in-
termortua manet. Haec eius est munificentia. De ea non tan-
tum loquitur schola *Grimmensis*, sed ipsa *Portensis*, quem condi-
dit, ac liberaliter prouidit, ut in ea centum et quinquaginta ado-
lescentes gratuita, quam doctrina, tam uictu, fruerentur. Ne
reticeam *Misenensem*, in qua ex praeclaro eiusdem instituto sexa-
ginta adoleſcentes gratis aequae aluntur, atque erudiuntur.

Quid opus autem est exemplis externis, cum domestico,
eoque illustri, tam eximiae munificentiae Melapyrgum superbire
queat. *Alberti Antonii*, terrae Schwarzburgicae quondam *Pa-
triae Patris* uere *Optimi*, nomen ac decus ad hunc usque diem
florescit, nec ulla unquam temporum diuturnitate obscurabitur,
quod rei litterariae bono *Mensam* duodecim adoleſcentum *libera-
lem* instituit, ratus, eos praecipue sumtus recte collocari, qui-
bus aluntur eiusmodi homines, quorum deinceps laboribus ac
studiis religio, doctrinaeque utiles, efflorescunt. In fastis nostris
annus supra millesimum sexcentelimum septuagesimus sextus, non
autem, quod *Treiberus* uult (b) nonagesimus sextus, est, cum
die septimo Calendas Apriles prima uice compransores cum an-
tistite morum ac decori constituto ex legibus saluberrimis laeti
accubuere, et de mensa surrexere. Hoc erat animi excelsi Mu-
sas esurientes sitientesque cibo ac potu sustentare, ut tanto ala-
criores, curisque solutiores, ad optimarum artium studia incum-
bere possent. Quemadmodum enim secundum tritum illud, sine
Baccho et Cerere friget Venus, ita sine nutrimentis necessariis
refrigescit ardor ad gloriam, impigra litterarum cultura conci-
liandam. Absit uero longissime, ut immortalis memoria dignus
huius mensae gratuita conditor gloriae aucupium intenderit, ut
potius omnis eius mens ac consilium hac in re ad summi Numi-
nis gloriam, atque ad salutem publicam, ualeret. Norat enim,

* 3 glo-
(b) p. 130. §. 6. In Geschlechts- und Landesbeschreibung des Hauses
Schwarzburg, edit. auct. et correct.

gloriam sequi uirtutem ceu umbram, ac post funera uiuere uirtu-
tem. Quin, sicuti sapientis est, non quod ante pedes est modo
uidere, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere, ita uersa-
bantur illi ob oculos tot ingenia docilia, liberalia, atque artibus
capessendis accommodata, quae uero omnia manerent inculta,
atque ad mercenarias, aut alias inferioris conditionis operas, de-
truderentur, si non haberent, unde uiuerent, nec iis ad uitam
et uictum necessariis subsidiis subueniretur. Quare hoc egregio
consilio capto, et quoque effectui dato, euenit, ut, quae Dei
gratia est, centum per annos complures adolescentes indigenae
hoc *Mensae gratuitae* beneficio subnixi atque excitati dotes inge-
nii, a natura faultrice acceptas, non tantum impigre excoluerint,
uerum quoque tantum profecerint, ut tam Patriae, quam exte-
ris regionibus, haud exigua cum laude maxima praestiterint of-
ficia. Esto, mediocria quoque ingenia hoc beneficio fruita esse,
nonne et his in republica opus est, modo in foenore ponant in-
genii uires, easque in collatis inferioribus muniis bona fide et
cura impendant. Esto, quosdam a moribus, ante probatis, de-
generasse, seque ita tractasse, ut tanto beneficio prior spes, de
iis concepta, non responderit, memoriaeque gloriosissimae *Nu-
tritor* fine suo exciderit, profecto illud Senecae, *Nemo habet tam
certam in beneficiis manum, ut non saepius fallatur*, ipsi iam satis
cognitum fuisse, quis est, quin credat. Nimum profecto, et
supra conditionem mortalium aliquid postulare, qui beneficia
legare ac conferre nollet, nisi pro certo praesciret, ea, tam se
superstite, quam post suum obitum, in nullo irrita collocatum iri.
Quod si enim Benignissimum Dei Numen, quod hominum pecto-
ra penitus explorat, multorum indignis ingratisque animis ad bo-
nitatem suam cohibendam non mouetur, quanto minus cadet in
hominem, haud praescium futuri, an spei irritus, nec ne, futu-
rus sit, a benigne faciendo ob id ipsum prorsus cessare. Diui-
nam hanc mentem nostri *Serenissimi Principes* habuerunt, hanc
etiam nunc habent. Seruet Deus etiam feris *Eorum* posteris hanc
piam atque excelsam mentem, qua nihil de diminuendo, dimidi-
ando, aut quocunque modo immutando, hoc beneficio egregio
unquam sibi consultum uelint, atque hoc pacto praemia promif-
sionis ferant diuinae. Mensae autem huius participes semper me-
mores

mores funto, quantum hoc sit beneficium, quantaque culpa, eo ubi non dignos sese gerant, legibus mensalibus conformes non uiuant, moribus modestis flagrantique litterarum amore se non insigniant, atque in ipso hoc sacro mensae gratuitae seculari, quod primum peragitur, laeti prouisu diuino, et gratissima animorum significatione, epulo, *Serenissimi Patriae Patris nostri, Serenissimique nostri Principis Heredis*, iussu ac cura liberaliter instructo, non fruantur. Iubeat Deus, uota nostra esse rata, eique ad gloriam, ac iuuentuti, litteris deditae, ad futuram uerti salutem.

Relinquitur, ut, his missis, pectore uenerabundo Deo O. M. quas possumus, maximas persoluamus grates, quod precibus nostris cessit, docentiumque iuxta, ac discentium, conatis ita adfuit, ut nunc, acri hieme soluta, soleque nitidius redeunte, *Lustrationem* Gymnasii nostri *publicam* superiorum nutu instituire liceat, idque *Serenissimo Patriae Patre, LVDOVICO GVNTHERO, Serenissimoque Principe Herede, FRIDERICO CAROLO*, incolumibus ac saluis. Laetamur merito hoc tanto beneficio eo magis, quo certiores sumus *Eorum* incolumitate nostrarum Musarum salutem contineri, *Eorumque* praesidio liberalium artium cultores fartos, tectos, esse, et quibuscunque subsidiis adiuuari. Seruet supremum Dei Numen nobis, nostrisque posteris, haec Columnina, hos Tutores ac Musagetas, ut *Eorum* sub umbra bonae litterae uigeant, et subinde laetissima capiant incrementa. Cum uero occasione memorata sex adolescentes optimae notae (*) simul *supremum uale*, impetrata uenia, nobis dicturi sint, piis subiunctis uotis, eosdem ut Perillustres atque Excellentiss. Magnif. Praenobiliss. ac summe Reuerendi, Patroni, Fautores ac Amici, pro ea, qua eminent gratia ac fauore, audire uelint, est, cur qua quemuis decet, obseruantia rogemus. Scribebam e museo Rudolphipoli ad d. III. Nonas Martias A. S. R. CICIDCC LXXVI.

(*) I. IO. FRIDER. NIC. NICOLAI, Lichtenhain. instructus ab iis ingenii dotibus et profectibus, quibus expeditus studiorum Academicorum cursus continetur, *de Mensa Platonica*. lingua Quiritium dicet.

II. IO.

II. IO. LAVRENTIVS ALEX, Ehrensteinensis, Non imber-
bis iuuenis Horatianus, sed maturus aevi ac iudicii ad subli-
miora cœpienda, *de Lacedaemonum coniunctim et communiter
conuiuandi instituto*, sermone uernaculo differet.

III. IO. AVG. CHRISTIAN. NOEBLING, Boehlensis, nun-
quam spem nostram frustratus, nec frustraturus, sat prata
biberunt, *de uariis uis ac rationibus nomen ad serissimam
posteritatem transmittendi*, patria lingua aget.

IV. IO. GEORG. SCHILLING, Rudolstadt. talis ad altiora ten-
dit, quales omnes debebant, *Quid de Lutheri colloquiis men-
salibus sit sentiendum*, ore teutonico disputabit.

V. IO. GOTTLOB APIZ, Blanckenhain. Talem se gessit, tem-
pusque irreparabile apud nos ita transegit, ut non illotis ma-
nibus Themidos sacris operam suam consecret, *Praestetne
Bibliothecas, an Mensas gratuitas, condere*, Germanica ora-
tione disquiret.

VI. CHRISTIAN. AVG. HINDERSIN, Cranichfeld. Diligen-
tiam et attentionem meis in praelectionibus semper mihi ita
probauit, ut eius proposito fausta quaeuis ominer, *de ratio-
ne instituendi adolescentes Chineses*, sermone natiuo exponet.

